

candis; Status et Ordines citatum Articulum 30. Anni 1655. et Artic. 66. Anni 1659. et Articulum 96. Anni 1659. similiter renovari; modisque et conditionibus, in citato Art. 30. Anni 1655. et Artic. 66. Anni 1659. declaratis, primo quoque tempore effectuari demisse expetunt:

§. 1. Et ad effectuationem ipsorum Articulorum, ex parte Regni; Reverendissimum Dominum Episcopum Zagrabiensem, eodem vero legitime impedito, vel excusato; Generalem, vel Vice-Generalem Ordinis Beati Pauli primi Eremitae, pro tempore constitutum: Dominum Vice-Banum et Magistrum Protonotarium illius Regni; ac unum, vel duos, ex Capitulo Ecclesiae Chasmensis: et Egregium Nicolaum Patachich, Vice-Comitem Comitatus Varasdiensis; pro Commissariis ex parte Regni denominant; ac per suam quoque Majestatem, certos similiter Commissarios ex sua et dictarum Provinciarum parte, denominari cupiunt:

§. 2. Salva in locum absentium, vel impeditorum Regni Commissariorum; pro Domino Comite Bano substituendi facultate.

Commissio de incorporatione Valachorum et Praedauciorum; effectuari postulatur.

Articulus 45.

Ad demissam fidelium Statuum et Ordinum instantiam, illud quoque cum benigna suae Majestatis annuentia conclusum est; ut Artic. 89. Anni 1659. et Art. 31. Anni 1649. alique in iisdem citati, de totali Valachorum, in Confiniis Croaticis et Sclavonicis existentium, ad Regnum et Sacram Regni Coronam incorporatione; Sclavorumque et Praedauciorum sub potestate Capitaneorum haerentium, plenaria resignatione, aliorumque ibidem declaratorum negotiorum ac difficultatum explanatione hactenus conditi; pro renovatis habeantur:

§. 1. Eosdemque sua Majestas, medio Commissionis Viennensis, intra revolutionem unius Anni instituendae, adhibitis Regni Croatiae et Sclavoniae Commissariis, per illud Regnum, ad id destinandis; benigne effectuare dignetur.

Contra Valachos in Oszek commorantes; Capitulo Zagrabiensi assistentia Bani admittitur.

Articulus 46.

Quoniam vero certi Valachi in Pago Oszek commorantes, in Territoria Venerabilis Capituli Zagrabiensis ad Castellum ipsorum Toplicza spectantia, violenter irrupere, Domosque et Colonias ipsius Capituli ibidem locatas, hostiliter invadere praesumerent; ipsis vero Capitularibus, veluti Ecclesiasticis personis, violentos hujusmodi Invasores, armis repellere non adeo conveniret; idcirco, eidem Capitulo pro repellendis illorum Valachorum invasionibus, assistentia Domini Comitum Bani admissa est.